



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in  
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

**Krimer, Ferdinand**

**Augustæ Vindelicorum, 1706**

§. V. De clausula: ex certa scientia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)



co; sed tantum, à die suæ scientiæ; cum alias sufficeret notitia vacationis in loco, ut ibidem dicitur; cui accedit alter effectus, quod si Pontifex *motu proprio* conferat, vel conferri mandet beneficium, si *vacat*, sufficiat; *vacare* tempore collationis, vel receptionis, licet non vacet tempore *date*; sic Barbosa *cit. n. 32.* ex Joanne Andrea, & alijs, sed hic videtur attendendum, quod dictum est *n. 1392.*

## §. V.

## De clausula: ex certa scientia.

1512. **C**omunis tenet, quod, quando Princeps concessionem, vel dispositionem à se factam apponit clausulam (*ex certa scientia*) hoc ipso significet, eam concessionem, vel dispositionem à se factam esse cum perfecta notitia totius negotij, & circumstantiarum ejus, de quo ea concessio, vel dispositio procedit. Varios effectus huic clausulæ tribuunt Authores; sed aliqui adeo ambigunt, ut vix aliquid, quod firmitatem habeat, rectè colligatur; imò non raro apparentiam alicujus repugnantia inferre videatur; ut constabit *ex seqq.*

1513. Inter effectus, quos Authores tribuunt huic clausulæ, primus est, quod, ubi apponitur in rescripto confirmante, vel revalidante aliquem actum, vel gratiam (v. g. privilegium, dispensationem, vel alias gratias concessas) *ei valorem tribuat*, si antecederet sit nullum ex aliquo defectu per Principem supplebili. Circa quem effectum rectè intelligendum

1514. Not. 1. hanc clausulā non habere locū, nisi in privilegij, vel gratiæ prius concessæ confirmatione; hæc autē confirmatio fieri potest vel in forma comuni, nimirum cum Pontifex procedit, nō habita perfectā notitiā talis negotij; vel in forma speciali, nimirum ex certa scientia, & perfecta notitia circumstantiarum, & qualitatum negotij, quod confirmat; sic Castropalaus *P. 1. tr. 3. D. 4. p. 2. §. 10. n. 2.* Not. 2. quando Princeps confirmat gratiam concessam, confirmatione speciali, nimirum *ex certa scientia*, talem confirmationem habere vim, & efficaciam renovandi, seu concedendi de novo tale privilegium, si fortè usu, vel aliā viā amissum esset; aut in priori con-

cessione defectus aliquis (nullitatem inducens) commissus fuisset; quod tamen accipe juxta dicenda à *n. 1516.* sic Cardinalis Tuschus V. *Confirmatio ex certa scientia*; Suarez *l. 8. de legibus c. 18. n. 12.* & plures alij *ibid.* relati.

Ratio est, nam, quando Princeps aliquid disponit, vel confirmat; vel cognoscit, vel non cognoscit defectum, aut nullitatem ejus, quod confirmat? Si cognoscit, & tamen confirmat, satis perspicuum est, quod non velit facere actum inutilem, & frustraneum, & vix decentem, præsertim in materia legum; ergo tunc confirmando intendit auferre defectum, ac nullitatem, eique tribuere vim, & efficaciam, seu valorem, in quantum potest, & à se pendet, ac necessarium est. Si autem non cognoscit nullitatem, & defectum, nulla nimirum informatione super hoc habita, sed solum ambigua (et si hoc dici vix possit, ne dicamus, *Principem falso rescribere*, se totius negotij certam notitiam habere) adhuc tamen dicendum est, eam confirmationem specialem habere vim, & efficaciam tollendi omnem defectum, & priori concessionem dandi vigorem, seu valorem, quantum opus est, & ipse potest; ne dicamus verba confirmationis ex certa scientia in rescripto apposita esse contra mentem rescribentis; & carere omni effectu.

Not. 3. huic ipsi effectui apponi plures limitationes ab Authoribus. Nam Castropalaus *cit. §. 10. n. 4.* dicit, privilegium *subreptione, falsā causā* impetratum non validari, esto confirmetur *ex certa scientia*. 1. quia defectus iste commissus est in ipsa impetratione, qui non præsumitur cognitus à Principe; 2. quia Pontifex non intendit confirmare privilegium, quod non fuit concessum; privilegium autem subreptione impetratum, nunquam fuit concessum. Contrarium tamen videtur deduci ex aliorum doctrina. Nam motus proprius purgat vitium subreptionis, seu suppressæ veritatis ex *n. 1506.* & tenet Barbosa *clausul. 79. §. quartus effectus*; at illi æquivaleret clausula *ex certa scientia*, ut cum pluribus tenet Barbosa in c. *Venerabilis* 18. de *confirm. n. 8.* licet hic statim infra *n. 20.* doceat, quod clausula *ex certa scientia*, non tollat vitium subreptionis. Deinde, clausula *ex certa scientia*, æquivaleret

1515.

1516.



valet clausula *de plenitudine potestatis*; at hæc, teste etiam ipso Castropalao, num. 3. significat, Principem velle confirmare, *in quantum potest, & necessarium est*. Cum ergo non obstante vitio subreptionis Pontifex possit validare primam impetrationem subreptione invalidam, ubi privilegium subreptione impetratum est nullum, revalidatur confirmatione speciali.

1517. Ad secundam rationem in *n. priori*. videtur rectè responderi cum, *distinct. maj.* Pontifex etiam in confirmatione speciali non intendit confirmare privilegium, quod non fuit *concessum valide, vel invalide, C. solum valide, N. maj. dist. min.* privilegium autem subreptione impetratum, nunquam fuit concessum *valide, trans. valide, vel invalide, N. min. & conseq. dixi transeat*. Nam non omnis subreptio invalidum reddit rescriptum, ut diximus à n. 1420.

1518. Quòd autem non requiratur, gratiam, vel privilegium *esse prius concessum valide*, sed, ut effectum confirmationis specialis obtineat, atque adeo revalidetur, seu potius, ut ea nullitas, & defectus tollatur, sufficiat, *concessum esse facto*, licet ob defectum aliquem latentem, nulliter, & invalide, docere videtur Abbas in *c. 1. de transact. n. 5.* Imola ibidem num. ult. & Beroius in *c. 1. de confirm. n. 27.* quos citat, & sequitur Pirhing *eod. n. 9.* Nam Principi affirmanti se sufficientem rei cognitionem habuisse, adeoque non ignorasse defectum, qui per ejus potestatem supplendus est, credere oportet, juxta *Clem. unic. de Probat. Abbatem, in cap. Examinata, de confirm. n. 6.* Suarez l. 8. de Legibus, c. 18. n. 6. sed, quando rescribit super certo negotio cum clausula *ex certa scientia*, hoc affirmat; ergo ei credendum est, quòd habuerit sufficientem rei cognitionem, adeoque non ignoraverit defectum, qui per ejus potestatem supplendus est. Cum ergo per ejusmodi rescriptum voluntatem suam declaret, eo ipso per rescriptum *ex certa scientia* tollitur nullitas, seu defectus, si subsit potestati rescribentis: at defectus subreptionis, seu reticentiæ veri, cujus expressio *jure solum positivo* requiritur, in ejus potestate est; ergo.

1519. In hac, & similibus controversis quæ-

stionibus super clausula *ex certa scientia*, not. 1. quòd hæc clausula nunquam significet voluntatem Principis, actui invalido, super quo rescribit, eum confirmando *ex certa scientia* dandi valorem, si nullitas, vel defectus provenit ex jure naturali, vel divino; nam hic defectus non subest potestati humanæ; quia Princeps non potest prudenter præsumi, velle sanare, quòd sanare non potest.

Ex hoc sequitur, quòd, ubi valor actus deficit jure naturali, quia scilicet deficit aliquid jure naturali requisitum ad valorem actus (in matrimonio v. g. vel professione consensus contrahentis, vel profitentis) non possit validari talis actus, etiam si Pontifex eum confirmet etiam *ex certa scientia*, vel ex plenitudine potestatis. Princeps enim non potest alienam voluntatem supplere, nec tollere inhabilitates naturales, & impedimenta. Sequitur 2. producentem rescriptum *ex certa scientia*, super actu validando, qui laborat ejusmodi impedimento, *in literis expresso*, puniendum tanquam falsitatis auctorem, *arg. c. Ad nostram 15. & c. Porrecta, 6. de confirm. utili*, ubi expresse dicitur, quòd, *ubi Sedes Apostolica non consuevit aliqua confirmare* (v. g. ut Regularis, *expresfa sua religionis conditione*, seu Prioratum) *rescriptum habendum sit falsum, etiamsi habeat clausulam ex certa scientia*.

Sequitur. 3. quòd clausula (*ex certa scientia*) non tollat defectum, quem Princeps rescribens non solet tollere, licet absolute possit, sive exprimatur, sive taceatur. Nam, *si taceatur*, rescriptum est irritum, & inane per expressum textum *in cit. c. Ad nostram*; si autem exprimitur, rescriptum præsumitur falsum *in cit. c. Porrecta*; talis est conditio *status Regularis*. Unde si Regularis impetret rescriptum confirmatorium super administratione temporali, eo ipso rescriptum inane est; nam vel expressit conditionem status sui regularis, vel tacuit: *si tacuit*, est irritum; si expressit, *est de falso suspectum*; ut expresse dicitur *in cit. juribus*; cujus ratio ibidem datur tam in rubro, quam in nigro, hoc est, tam in rubrica, quam in textu: *quia Papa non consuevit concedere*. Sequitur 4. ut per confirmationem (*ex certa scientia*)



*scientia*) actus irritus fiat validus, requiri, ut hoc possit sola voluntate, & potestate confirmantis fieri. Nam velle, quod non potes; aut posse, quod non vis, nullum parit effectum. Requiritur ergo utrumque, ut possit, & velit. Cum ergo jure constet, Principem non velle tollere defectum, quem non solet, ut præmissum est, nisi hoc specialiter exprimat, quod velit etiam in tali casu, rescriptum, etiam ex certa scientia confirmans actum, laborantem tali defectu, eo ipso erit vel irritum, vel falsum, ut dictum est.

1522. Sequitur 5. si rescribens ex certa scientia, defectum quo laborat actus confirmandus, vel validandus, supplere non possit sine præjudicio alterius, per dictam clausulam non confirmari, vel validari actum in alterius præjudicium, nulla facta mentione de jure alteri quæsito vel in re, vel ad rem, tollendo, per n. 1437. Nam Pontifex non solet indulgere gratiam cum præjudicio tertii, nisi exprimat, se concedere non obstante jure alterius, ex n. citato, & seqq.

1523. Dices, quod hoc sufficienter exprimat per clausulam ex certa scientia; cum hæc significet, Principem procedere ex perfecta notitia rei, seu negotij confirmandi, vel validandi. Resp. quod ea clausula non denotet Principem procedere ex perfecta informatione, & notitia omnium omnino circumstantiarum, quæ gratiæ obesse possunt, quales sunt, quæ oriuntur ex facto alterius, & jure municipali, vel statutis &c. sed eorum tantum, quæ sunt juris à se, vel sui similibus conditi; hinc omnino negandum est, quod in objectione dicitur.

1524. Ex hoc sequitur. 6. quod, nisi supplicans exprimat, vel aliunde constet, Pontifici notas esse etiam eas circumstantias facti, vel statuti, aut consuetudinis, aut alterius similis impedimenti, ex quo actus confirmandus, vel validandus nullitatem contrahit; & quod non obstante tali circumstantia Pontifex ejusmodi nullitatem tollere soleat, non validabitur actus ante nullus, esto cum confirmet etiam specialiter, seu cum clausula ex certa scientia: secus in opposito. Ratio primi est; quia vel ea circumstantia, qua stante gratiam concedere non solet, ponitur nota rescribenti, vel ignota? si primum? rescriptum erit falsum; si secundum? erit nullum, de-

Tom. I.

fectu consensûs in gratiam sub dicta circumstantia, ut dictum est superius; ratio secundi est, quia ubi ea circumstantia ponitur nota, & talis, qua stante potest, & solet nihilominus concedere gratiam, nihil deficit, ut actus, ante irritus, evadat validus; cum adsit voluntas, & potestas validandi talem actum.

Sequitur. 7. quod clausula (ex certa scientia) appositae rescriptis reflexivis, seu concessis super aliquo actu validando, non significet voluntatem Principis, tollendi nullitatem, vel defectum, quo laborat prior actus, nisi sit sub ejus potestate, illum tollere; soleat eum tollere, & sit ei notus vel per ejus mentionem, vel aliam informationem, de qua constet, aut merito præsumatur; si actus confirmandus, nunquam valuit, etiam in impetratione, ex defectu vitianti etiam primam impetrationem; secus enim impetrans esset falsitatis auctor; & rescriptum haberetur falsum, ut constat ex cit. c. Ad nostram, & c. Porrecta in n. 1520. Sequitur 8. actum, prius nulliter concessum, revalidari per rescriptum cum clausula ex certa scientia, si rescribens sit informatus de nullitate, ac defectu à se supplebili, & suppleri solito; sic enim habet omnia requisita; ut efficaciter inducat effectum confirmationis specialis, ex priori num. Et in hoc recedimus à limitatione, quam ponit Castropalaus, de qua supr. num. 1516.

Dices: ergo privilegium, semel verè concessum, sed amissum vel revocatione concedentis, vel non usu, aut renuntiatione privilegiati, non revalidabitur, si non exprimatur ea circumstantia revocationis, renuntiationis, &c. etiam si confirmetur inserto tenore privilegij confirmandi; probatur illatum, quia secundum dicta, ut tollatur nullitas, confirmanti nota esse debet circumstantia, ex qua inducta est nullitas in actum confirmandum, vel validandum; at sic non est nota; nam ea revocatio, vel renuntiatione est facti particularis, quod Princeps præsumitur ignorare juxta c. 1. de constitut. in 6. ibi: quia tamen locorum specialium, & personarum singularium consuetudines, & statuta (cum sint facti, & in facto consistant) potest probabiliter ignorare. Suarez l. 8. de legibus, c. 19. n. 4. con-

Ti

con-



concedit illatum, etiam si privilegium confirmatum insertum sit rescripto confirmationis, nisi mentio fiat illius facti particularis, vel addatur clausula generalis (*non obstantibus*) negat verò, si Princeps apponeret clausulam, *ex certa scientia*, vel, *ex plenitudine potestatis*. Sed, quoniam privilegium insertum rescripto ejus confirmatorio ex comuni sensu æquivalere rescripto cum clausula *ex certa scientia*, vel *ex plenitudine potestatis*, si in dato casu privilegij, rescripto inserti, non fiat revalidatio, nec fiet etiam appositis dictis clausulis, adeoque in nullo casu, quod est contra communem sensum, teste Castropalao tit. P. 1. Tr. 3. D. 4. p. 2. §. 9. n. 5. quia semper obstat ignorantia facti particularis. Igitur:

1527. Resp. ad object. neg. illatum; ad ejus probat. dist. ma. secundum dicta, ut tollatur nullitas, confirmanti nota esse debet circumstantia, ex qua inducta est nullitas in actum confirmandum, vel validandum *nova concessione valoris antè nunquam habiti C. prius legitime habiti*, N. maj. hinc data mi. N. conseq. Unde, ut privilegium semel valide obtentum, sed facto particulari, v. g. *revocatione, renuntiatione, vel non usu amissum*, denuo concedatur, ad vim confirmationis specialis non requiritur notitia nullitatis ortæ ex facto particulari. Hujus ratio est; quia in dato casu *nullum tollendum est vitium*, ex quo prima impetratio irrita, & inanis fuit (cum, ut ponit casus, impetratio privilegij nunc confirmandi, seu reducendi, valida fuerit) ergo non est eadem ratio pro exprimenda causa nullitatis in hoc casu, quæ est, *cum prima impetratio vitiosa fuit vitio reddente illam statim in principio nullam*; sic enim confirmatio in hoc casu præter concessionem primò faciendam nunc debet etiam tollere vitium, quo prior concessio nulla fuit, id, quod non contingit in casu nostro.

1528. Quibusdam videtur tamen merito limitanda hæc doctrina (quæ dicit: *privilegium (vel gratiam) semel valide impetratum, sed revocatione, renuntiatione, vel non usu amissum, valide confirmari per clausulam (ex certa scientia, vel, ex plenitudine potestatis, aut rescripto confirmationis inserto tenore privilegij, denuo concedendi, licet nulla fiat mentio, quod re-*

*vocatum, renuntiatum, vel non usu amissum sit*) ut non procedat, si revocata est per *generale Concilium*; vel per ipsum Pontificem *ex gravi causa*, propter quam in *pœnam* sublatum foret; intellige, si non exprimat in rescripto confirmationis non obstante *decreto Conciliari*, vel *excessu priori*. Rationem primi dant; quia Pontifex non præsumitur velle legi, à Concilio stabilitæ, derogare per concessionem ita generaliter factam. Nam, quod consensu tam multorum, & gravissimorum Virorum stabilitum est, firmatum quoque est majori autoritate; consequenter etiam majori, ac speciali derogatione indiget, ut docet Suarez l. 8. de legibus, c. 19. n. 5. Eman. Rodriquez Tom. 1. qq. regular. q. 8. art. 10. Vincentius de Justis in Praxi dispens. matrim. l. 1. c. 4. à num. 232. & alii; secundi verò istam: quia tali casu is, qui per ejusmodi revocationem amisit gratiam antè legitime concessam, per talem excessum se fecit indignum eâ gratiâ; ergo, nisi de indignitate illa constet ei, à quo gratia sic amissa denuo suscitanda est, non potest præsumi consensus in ejus innovationem, ne dicas, quod concedat gratiam indigno, nisi constet de indignitate sublata.

## §. VI.

## De nonnullis aliis clausulis rescriptorum.

1529. Non agimus hic de clausulis rescripto-  
rum, in ordine ad causas matrimo-  
niales; nam de his copiose tractamus l. 4. quæst. ult. à n. 2010. sed solum de his, quæ in aliis materiis frequentius occurrunt. Hinc quæres. 1. quam vim habeat clausula: *supplentes omnes juris, & facti defectus, si qui intervenerint in gratia*, quæ conceditur, vel confirmatur; hæc enim in confirmationibus privilegiorum apponi solet; & habetur etiam in confirmatione privilegiorum pro Societate nostra, edita à Gregor. XIV. & Paulo V. Respondet Castropalaus P. 1. Tra. 3. D. 4. p. 2. §. 10. n. 6. quod ea clausula nihil speciale addat concessioni, vel confirmationi *ex certa scientia*; & apponi solum ad majorem claritatem, ac evidentiam. Unde nec supplet vitium subreptionis, nec vitia, & inhabi-